

No. 278. 1452. 11. Mai.

*Notariatsinstrument die Visitation und Reformation des Afrastiftes betr.*

In nomine domini amen. Anno a nativitate eiusdem millesimo quadringentesimo quinquagesimo secundo, indictione quinta decima, die vero undecima mensis Maii hora tertiarum vel quasi in cappella sancti Michaelis archangeli in ecclesia monasterii sanctae Affrae Misnensis situata — in venerabilis patris domini Johannis Stoyan praepositi, honorabilium et religiosorum fratrum et dominorum Nicolai Stoyan prioris, Cristoferi Czigeler cantoris, Nicolai Qwestewicz camerarii, Laurentii Grunewaldt plebani ceterorumque canonicorum et conventualium tam seniorum quam iuniorum praefati monasterii sanctae Affrae capitulariter et conventualiter inibi pro amplectenda immo assequenda salubri reformatione a reverendo in Cristo patre et domino Caspare Misnensi episcopo indicta humiliter congregatorum et stolis pro maiori parte indutorum, meique notarii publici ac testium infrascriptorum ad hoc specialiter vocatorum rogatorum simul et requisitorum praesentia personaliter constitutus venerabilis vir dominus Fridericus Hacke, artium liberalium baccalarius, prior monasterii Montis Sereni ordinis sancti Augustini Magdeburgensis diocesis, visitator inquisitor et reformator monasterii sanctae Affrae ab eodem domino episcopo Misnensi delegatus constitutus ac specialiter deputatus nec non stola et cappa choralis ut decet indutus, una cum dicto domino Johanne praeposito ante altare supradictae capellae praesidens, officium sibi iniunctum et mandatum ut praemittitur in ipsum transfusum iuxta formam sibi traditam et concessam humiliter ut decuit exequi volens primo se excusavit, quia iuvenis et indoctus magistri assumeret officium et quia primum sibi accubitus usurparet praesentibus tantis viris illuminatis et egregiis doctore scilicet et magistris, cum tamen id faceret ratione iniuncti reformationis ministerii. Quo facto dictus dominus Fridericus visitator inquisitor et reformator praemissa quadam brevi exhortatione mundi contemptum declarante ac suadente, nec non succincta substantialium ordinis huiusmodi explanatione ad communitatem rerum et etiam animorum provocante ac inducente et causarum sui adventus et legationis seu missionis clara expositione ad ostendendum se habere potestatem et mandatum una cum adiuncto fratre suo domino Petro Schenckil dicti monasterii sancti Petri Montis Sereni canonico visitandi inquirendi et reformandi tradidit et praesentari fecit ad legendum mihi notario quasdam patentes litteras in papiro conscriptas, rotundis sigillis de rubea cera factis tergotenus appressis saepetacti domini episcopi Misnensis sigillatas, visitationis inquisitionis et reformationis negotia continentes. Lectis siquidem his litteris, licet non per me, tamen per magistrum Paulum Mundel Mißnensis ecclesiae canonicum, idem dominus Fridericus iuxta omnem visitationis formam ad inquisitionis negotium devotissime accessit ipsum iuxta modum sibi commissum perficiendum. Antequam tamen in huiusmodi negotio processit coram omnibus dominis ibidem ut praemittitur congregatis et constitutis certum praestitit iuramentum circa hoc fieri consuetum, scilicet de fidelitate et diligentia in dictis visitationis inquisitionis et